# COMPENDIUM AUTHENTICUM

## PRAECIPUORUM AC GENERALIUM
## PRIVILEGIORUM FACULTATUM INDULTORUM
## ET GRATIARUM SPIRITUALIUM

*quibus*
*sive ex iure sive ex peculiari concessione*

*gaudet*

**SOCIETAS SALESIANA**

**ad formam Codicis I. C. accommodatum**

TORINO
SOCIETÀ EDITRICE INTERNAZIONALE
*Corso Regina Margherita, 176*

TORINO, via Garibaldi, 20 - MILANO, piazza Duomo, 16 - GENOVA, via Petrarca, 22-24r.
PARMA, via al Duomo, 8 - ROMA, via Due Macelli, 52-54
CATANIA, via Vittorio Emanuele, 145-149

Editio extra-commercium.

## INDEX


Litterae adprobatoriae . . . . . . . . . . . . . pag. 7

Decretum . . . . . . . . . . . . . . . . » 8

Pars I. — De Privilegiis in genere . . . . . . . » 9

§ 1 - De ambitu et interpretatione Privilegiorum . » 9
§ 2 - De usu Privilegiorum . . . . . . . . » 12

Pars II. — De Privilegiis in specie . . . . . . . » 13

Caput I. — *De Privilegio Exemptionis eiusque consectariis* . . . . . . . . . . . . » 13

Caput II. — *De Privilegiis ad personas spectantibus* . » 15

Art. I. - De Privilegiis Salesianorum . . . . . » 15

Art. II. - De Privilegiis quae competunt Rectori Maiori relate ad Filias Mariae Auxiliatricis » 16

Art. III. - De dispensationibus . . . . . . . » 17

Art. IV. - De Privilegiis quae competunt Rectori Maiori relate ad Adsociationes laicales a nostra Societate dependentes . . . . » 18

Caput III. — *De Privilegiis quoad res* . . . . . . » 20

Art. I. - De Sanctissima Eucharistia . . . . . » 20
§ 1 - De SS. Missae Sacrificio . . . . . . » 20
§ 2 - De circumstantiis celebrationis . . . . » 21

§ 3 - De custodia et distributione SS. Eucharistiae . . . . . . . . . . . . . pag. 24

Art. II. - De Sacramento Paenitentiae . . . . » 26

Art. III - De aliis Sacramentis . . . . . . . » 28

Art. IV. - De locis et temporibus sacris . . . . » 29

Art. V. - De cultu divino . . . . . . . . . . » 30

Art. VI. - De magisterio ecclesiastico . . . . . » 31

Art. VII. - De bonis Ecclesiae temporalibus . . . » 32

Art. VIII. - De potestate Superiorum quoad poenas remittendas . . . . . . . . . . . . » 32

Decretum autographum authenticitatis compendii . » 34

Index rerum alphabeticus . . . . . . . . . . . » 35

SEGRETERIA
DELLA
SACRA CONGREGAZIONE
DEI RELIGIOSI

N. 9370/34 Romae, die 14 Septembris 1939.

Reverendissime Pater,

*petitiones Tuas circa privilegia et facultates quibus Salesiana Societas hucusque fruebatur, SS.mo subieci in Audientia mihi concessa die* 18 *julii* 1939.

*SS.mus vero, omnibus perpensis, Privilegia et Facultates, quibus Salesiana Societas pacifice utebatur, benigne rata habuit et confirmavit.*

*Ad tollendas tamen omnes difficultates in applicatione Privilegiorum post publicationem Codicis, SS.mus mandavit novam fieri eorumdem redactionem Codici conformatam et Authenticum Compendium, S. Congregationi de Religiosis pro revisione subiicienda.*

*Quoad vero novas facultates a Te petitas, jussit easdem examinari a S. Congregatione et iterum ad Sanctitatem Suam in alia Audientia referre.*

*Quae dum Tibi praestolor, cuncta a Deo fausta adprecor ac permaneo.*

*Eidem Paternitati Tuae Rev.mae*

*addictissimus*

L ✠ S VINC. CARD. LA PUMA, PRAEF.
✠ FR. L. H. PASETTO, SECR.

Rev.mo Patri
D.no PETRO RICALDONE
Rectori Majori
Societatis Salesianae S. J. Bosco.

SEGRETERIA
DELLA
SACRA CONGREGAZIONE
DEI RELIGIOSI

N. 2736/40

# DECRETUM

*SS.mus Dominus Noster Pius Pp. XII, in Audientia diei 3 Aprilis a. 1940 mihi infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis de Religiosis Praefecto, atque Salesianae Societatis Protectori, concessa, quae jam in praecedenti Audientia diei 18 julii a. 1939 circa Privilegia, Indulta, Facultates, Indulgentias et Gratias Spirituales, quibus Salesiana Societas usque adhuc pacifice utebatur, adprobaverat, denuo ample confirmavit, atque eamdem Salesianorum Societatem Suo favore prosecutus, benigne, auctoritate Sua Apostolica, nova quae expetita sunt Privilegia, Indulta, Facultates, Indulgentias et Gratias Spirituales, rite examinatas, in perpetuum elargitus est.*

*Compendium, insuper, praecipuorum Privilegiorum, Indultorum, Facultatum, Indulgentiarum, Gratiarumque Spiritualium ab eadem Societate iuxta Apostolicum mandatum exhibitum, atque ab hac Sacra Congregatione recognitum, eadem Sacra Congregatio, prouti nunc exstat, a u t h e n t i c u m declaravit.*

Datum Romae, die 24 Aprilis 1940.

L ✠ S

VINC. CARD. LA PUMA, PRAEF.
✠ FR. L. H. PASETTO, SECR.

PARS I

# DE PRIVILEGIIS IN GENERE

## § 1. - De ambitu et interpretatione Privilegiorum.

1. - Privilegia, Facultates, Indulta, Gratiae Spirituales, quae in hoc Compendio continentur, illaque etiam quae in posterum nobis legitime concedentur, ad normam iuris interpretanda sunt (Cann. 67, 68, 50) ita tamen semper, ut aliquid favorabile operentur (Can. 68).

2. - Privilegiorum, Facultatum, Indultorum, Gratiarum Spiritualium nobis a S. Sede (Can. 7) concessorum, una Apostolica Sedes interpres authentica habenda est.

3. - § 1. Nostrarum Constitutionum a Sancta Sede approbatarum tam authentica interpretatio quam ipsarum quaelibet immutatio Sanctae Sedi reservatur (art. 200).

§ 2. Vice et nomine S. Sedis ac ipsius delegatione:

1) Capitulum Generale legitime convocatum riteque ad normam Constitutionum ordinatum (art. 122 ss.), ad maioritatem absolutam suffragiorum, potest:

*a*) sensum dubium Constitutionum authentice interpretari et ad quamlibet difficultatem, quae circa ipsarum observantiam seu applicationem oriri possit, decernere ac definire;

*b*) mutationem in Constitutiones, sive per abrogationem aut derogationem sive per novorum praescriptorum additionem inducere, accedente tamen Sedis Apostolicae confirmatione;

2) Rector Maior:

*a*) ad rectam Societatis Salesianae gubernationem, tempore quo non sedet Capitulum Generale, urgente necessitate ac de consensu Capituli Superioris, Constitutiones, *provisionaliter*, usque ad proximum Capitulum Generale, interpretari et, servata norma [1), *b*)] statuta, aliquem articulum Constitutionum suspendere vel aliter immutare valet;

*b*) insuper, ad normam art. 200 Constitutionum, ea omnia, quae ad practicam interpretationem Constitutionum pertinent, ordinare et statuere potest.

4. - In interpretatione et usu nostrorum Privilegiorum, Facultatum, Indultorum aliarumque Gratiarum Spiritualium, sive ipsa in hoc Compendio contineantur sive extra vagentur, nisi ex textu contrarium clare constet ita ut ambitus verborum excludatur vel restringatur, veniunt nomine:

1) Rectoris Maioris, *Superior* seu *Moderator Generalis* qui actu supremum tenet Societatis Salesianae gubernium (*Const.*, art. 55), et *Praefectus Generalis* aliusve qui Rectoris Maioris demortui (*Const.*, art. 59), absentis vel impediti (*Const.*, art. 70) legitime vices gerat (Can. 488, 8º);

2) Superioris Maioris, praeter Rectorem Maiorem, *Inspectores* quibus concredita est Inspectoria seu Provincia (*Const.*, art. 85), et insuper, ad normam iuris (Can. 488, 8º; *Const.*, art. 95), qui illorum vices gerunt et qui ad instar similem potestatem habent, ut Visitatores *stabiles* (*Const.*, art. 83) et Visitatores *canonici ad casum* (*Const.*, art. 120, 121);

3) Visitatorum:

*a*) in primis, *Visitatores stabiles*, quibus, de consensu Capituli Superioris, curam aliquarum domorum Rector Maior, iis facultatibus quas ipse determinaverit, ad normam Constitutionum (art. 83) demandaverit;

*b*) etiam *Visitatores canonici ad casum*, illi scilicet, quibus visitatio canonica Inspectoriarum vel Visitatoriarum vel Domorum legitime, ad normam iuris (Can. 511) et Constitutionum (art. 120, 121), a Rectore Maiore aliove Superiore Maiore demandata fuerit;

4) Superiorum, praeter Maiores [1), 2)], etiam *Locales*, qui Domui autonomae (*Directores*) vel filiali seu dependenti (*Addicti*) praesunt, hisque demortuis, absentibus vel impeditis, qui ipsorum vices legitime tenent;

5) Confessariorum, nisi aliter expresse aut aequivalenter in singulis casibus notetur, omnes Sacerdotes salesiani, qui ius habent confessiones excipiendi sive ex officio, ut sunt v. g. Su-

periores locales et Parochi, sive ex delegatione Ordinarii loci aut proprii Superioris;

6) Confessariorum ordinariorum nostrarum domorum, Sacerdotes salesiani quibus munus commissum est a Rectore Maiore vel ab Inspectore (*Const.*, art. 152) in singulis Domibus excipiendi confessiones Sociorum, aliorumque de quibus in Cann. 514 § 1, 875 § 1;

7) Confessariorum Filiarum Mariae Auxiliatricis, sacerdotes quibus inest facultas ab Ordinario loci vel, ad occasionem, a Rectore Maiore eiusve Delegato ad normam n. 21 recepta, excipiendi Confessiones Sororum, novitiarum et postulantium, famularum, alumnarum internarum, hospitum;

8) Nostrorum Presbyterorum vel Sacerdotum nostrae Societatis, omnes Sacerdotes salesiani, etiam novitii, nisi expresse aut aequivalenter novitii excludantur;

9) Subditorum, qui ratione sive adscriptionis alicui nostrae Societatis parti seu organismo (subditi proprii), sive commorationis in ipsa, Superioribus qui eidem parti praesunt subiiciuntur; *pro quibusdam dumtaxat negotiis*, ad normam iuris, omnes, quamvis extranei, qui in aliqua Domo Societatis diu noctuque degunt (Can. 514 § 1).

In particulari, sunt subditi:

*a*) *Inspectoris:*

1. qui ad eius Inspectoriam pertinent, neque alienae adplicati fuerint;

2. qui ad alienam Inspectoriam pertinentes, quocumque anni tempore alii Inspectoriae ratione studii, valetudinis aliave adplicantur;

3. qui, quamvis ad tempus, in aliqua Domo Inspectoriae degunt tàmquam subditi Directoris, quique proinde subditi sunt Inspectoris proprii et Inspectoris localis;

4. caeteri omnes, quibus in territorio Inspectoriae degere contigerit, etsi non proprie in aliqua Domo adscriptionem habeant, sub potestate illius Inspectoris intelleguntur;

*b*) *Visitatoris stabilis*, omnes qui Domibus Visitatoriae ascripti sunt vel in eis, habitualiter seu actualiter, degunt [*a*) 2-4];

*c*) *Visitatoris canonici*, omnes qui in Inspectoria vel Domo visitanda habitualiter degunt;

*d*) *Directoris*, qui, ex quacumque Inspectoria, quolibet anni tempore, Domui adscripti fuerint cui ille Director praeest; hospites insuper confratres, qui ob quamcumque causam in Domo actu inveniantur;

*e*) *Addicti*, qui habitualiter degunt in Domo filiali, qui subditi quoque sunt Directoris Domus principalis;

10) Famulorum, extranei qui in Domo vitam nobiscum transigunt et laboribus vel materialibus vel etiam intellectualibus, iuxta eorum capacitatem, addicuntur;

11) Missionum, territoria quae S. C. de Prop. Fide aut S. C. pro Ecclesia Orientali subiiciuntur, et, quoad regimen internum ac usum privilegiorum, ea etiam quae ex paritate rationis, Rectoris Maioris iudicio, illis aequiparari merito possunt.

### § 2. - De usu Privilegiorum.

5. - Ordinariis locorum (Can. 198 § 1), ad recognitionem seu notitiam, iuxta casus, exhibere tenemur:

1) *licet non requisiti:*

*a*) *ante usum*, Privilegia, Facultates, Indulta, Gratias Spirituales, quae cum clausula: *certioratis locorum Ordinariis* aliave simili concessa fuerint;

*b*) *ante publicationem*, ex iure (Can. 919 § 1), novas indulgentias ex iis quae Romae promulgari solent, nisi iam promulgatae sint;

2) *requisiti, at quin interea usu interdici possimus:*

*a*) *privilegium generale exemptionis*, in quo illa omnia contineri intelliguntur quae ex iure communi exemptio secumfert, illis in locis tantum ubi ipsius Societati Salesianae legitima concessio non fuerit notoria;

*b*) *privilegia peculiaria* nostrae exemptionis, si ipsa notoria non sint, etsi caeterum concessio generalis exemptionis nota fuerit.

PARS II

# DE PRIVILEGIIS IN SPECIE

CAPUT I.

## DE PRIVILEGIO EXEMPTIONIS EIUSQUE CONSECTARIIS

6. - Societas Salesiana, ipsius *membra*, non exclusis novitiis, cum *Domibus* etiam non formatis, atque *Ecclesiis*, legitime fruuntur, ad sensum Cann. 618 § 1 et 615, privilegio exemptionis personalis et localis a iurisdictione ac visitatione Ordinarii loci, salvis casibus in iure expressis.

7. - § 1. Rector Maior, Inspectores, aliique Superiores Maiores [n. 4, 2)] et Capitula ad normam Constitutionum (art. 50, 91, 110), praeter potestatem dominativam in subditos, iurisdictionem ecclesiasticam ordinariam in utroque foro ex officio possident (Can. 501 § 1).

§ 2. Omnes Superiores Maiores, ad normam iuris, non solum Praelati (Can. 110), sed etiam Ordinarii sunt et dicuntur (Can. 198 § 1) atque, generatim, ea in proprios subditos possunt, quae Ordinarii locorum in suos dioecesanos.

8. - § 1. Iurisdictionem ecclesiasticam in utroque foro ex officio ac proprio nomine exercet (Cann. 197, 199 § 1), et ideo vere

Praelatus ad normam iuris (Can. 110) dicendus est, Superior localis seu *Director*.

§ 2. *Addicti* potestas iurisdictionis fori *interni* vicaria, *externi* vero delegata habenda est.

9. - § 1. Superiores omnes, quas sive ex officio sive ex concessione facultates habent, nisi aliter, ad normam iuris expresse vel aequivalenter (Can. 199 §§ 1-3) cautum sit, propriis subditis [n. 4, 5)-9)] habitualiter communicare, applicare seu delegare possunt; alienis vero subditis ad tempus tantum, quo isti sub illorum potestate versantur.

§ 2. Facultates, quae *disciplinam externam* tangant propriis subditis in aliena Inspectoria seu Visitatoria vel Domo versantibus, Superiores ne concedant inscio vel contradicente Inspectore, Visitatore seu Superiore Domus.

10. - Ordinarii locorum nec Domos quaslibet nec Ecclesias vel Oratoria publica vel semipublica nostrae Societatis visitare possunt, praeter Ecclesias tantum paroeciales, quoad ea quae ad paroeciam pertinent, et salvo praescripto Can. 512 § 2, 2° circa Ecclesias et Oratoria publica.

11. - Privilegia, Gratiae Spirituales et Indulta, quibus gaudet Societas Salesiana, competunt etiam Filiabus Mariae Auxiliatricis, earum Cappellis et Oratoriis (Can. 613 § 2), exceptis iis quorum non sunt capaces, illisque quae, iudicio Rectoris Maioris et Capituli Superioris, eisdem applicare opportunum non videtur.

12. - Rector Maior pro tempore insignibus nostrae Societatis Benefactoribus et Cooperatoribus Indulgentias, Indulta, Facultates et Gratias Spirituales nostrae Societati a S. Sede concessa ac in posterum concedenda, perinde ac si Tertiarii essent, iis exceptis quae ad vitam communem pertinent, communicare potest.

13. - Rector Maior pro tempore quibuslibet personis iusta de causa suffragia, orationes, bona spiritualia et fructus bonorum operum nostrae Societatis communicare valet.

## Caput II.

## DE PRIVILEGIIS AD PERSONAS SPECTANTIBUS

### Art. I.

### De privilegiis Salesianorum

14. - Rector Maior, de consensu Capituli Superioris, vota publica sive perpetua sive temporaria Coadiutoribus et Clericis non in Sacris, qui ad normam iuris impetrent saecularizationis indultum (Can. 640) ipsumque libere acceptent, Apostolica auctoritate dispensare valet.

15. - § 1. Professi, sive votorum temporariorum sive perpetuorum, in actu dimissionis, ipso facto quo dimissio effectum obtinet, ad normam iuris (Cann. 648, 669 § 1) et Constitutionum (art. 20, 80), a votis religiosis solvuntur.

§ 2. - Clerici in minoribus, de quibus in § 1, ipso facto dimissionis, ad normam iuris, ad statum laicalem reducuntur (Cann. 648, 669 § 2).

16. - Societas nostra nullum subsidium sustentationis praebere tenetur Religiosis dimissis vel quomodocumque a votis dispensatis.

17. - Licet Rectori Maiori licentiam concedere subditis transeundi ad aliam Religionem paris, laxioris aut arctioris observantiae, de consensu Superioris novae Religionis.

18. - § 1. Rectori Maiori competit facultas Salesianis licentiam concedendi ut, ubi necessitas, iudicio Superioris, id expostulet, testamentum rite confectum mutare possint.

§ 2. Eidem competit facultas licentiam concedendi pro abdicationibus, de quibus in Can. 583, 1°, dummodo ne fiant in favorem Societatis neque excedant summam 30.000 libellarum, ac finis legis salvus semper sit.

ART. II.

## De privilegiis quae competunt Rectori Maiori relate ad Filias Mariae Auxiliatricis.

19. - Salvis Ordinariorum locorum iurisdictione atque iuribus, Rector Maior Societatis Salesianae in Instituto Filiarum Mariae Auxiliatricis ea agere valet quae in articulis, qui sequuntur, determinata sunt.

20. - Rector Maior, per se vel per delegatos, sacerdotes nostros qui cappellanorum et concionatorum munere (Can. 145) in Domibus ac Collegiis Filiarum Mariae Auxiliatricis fungi debent (Can. 529), nominare potest.

21. - § 1. Rector Maior, per se vel per delegatos [n. 4, 2), 7)], sacerdotes nostros ad normam iuris idoneos qui confessariorum munere (Cann. 520, 521) pro Filiabus Mariae Auxiliatricis fungi debent, Ordinario loci, a quo iurisdictionem recipere debent (Can. 876), praesentat (Can. 525); pro confessionibus ad casum quae occasione praedicationis aliusve similis ministerii occurrere possunt, ipse, Ordinariorum locorum obtenta delegatione, iurisdictionem necessariam concedere potest.

§ 2. Ad munus confessarii pro alumnis, famulabus, hospitibus in Domibus et Collegiis eiusdem Instituti commorantibus seu ipsa quomodolibet frequentantibus, Rector Maior ipsiusque delegatus inter approbatos libere designare valent.

22. - § 1. Rector Maior, per se vel per delegatos, examen canonicum a Can. 552 praescriptum, perficere potest.

§ 2. Ipse quoque, per se vel per delegatos, consensum a iure impositum pro dotum collocatione (Can. 549) et praescriptum super ipsarum vigilantiam (Cann. 550 § 2, 535 § 2) relate ad dotes Filiarum Mariae Auxiliatricis interponere debet.

23. - § 1. Rector Maior, per se vel per delegatos, Inspectorias, Domos, Collegia et Opera Filiarum Mariae Auxiliatricis visitare canonice debet.

§ 2. In visitatione illa omnia quae ad statum spiritualem, disciplinarem, scientificum atque oeconomicum pertinent, singillatim examinare valet, simulque non solum opportuna consilia suggerere sed etiam convenientia remedia adhibere potest.

24. - § 1. Quoad rerum alienationem et obligationes oeconomicas, praeviis omnibus a iure requisitis (Can. 534) et a Constitutionibus Filiarum Mariae Auxiliatricis praescriptis, Rector Maior illis omnibus facultatibus pollet, quas habet pro Societate Salesiana.

§ 2. Rectori Maiori, etiam relate ad Filias Mariae Auxiliatricis, ea omnia competunt quae pro Salesianis n. 18 statuuntur.

25. - Rector Maior, per se vel per delegatum, Capitulis Generalibus, omnibusque aliis Consiliis, Coetibus, Congregationibus Filiarum Mariae Auxiliatricis intervenire potest eisque praesidere tamquam Apostolicae Sedis Delegatus.

26. - Rector Maior eiusve delegatus subsidium charitativum, ad sensum can. 643 § 2, ab Instituto Filiarum Mariae Auxiliatricis Sorori sine dote vel cum dote insufficienti receptae, quacumque ratione e religione egrediatur nec habeat unde honeste vivat, determinare valet.

## Art. III.

## De dispensationibus.

27. - § 1. Rector Maior potest dispensare ingredientes Societatem super irregularitatem occultam natalium.

§ 2. Iustis de causis dispensare potest sibi subditos ab irregularitate *ex defectu occulto* natalium, in foro dumtaxat extrasacramentali et in scriptis, et de dispensatione in secreto Curiae Generalis vel Inspectorialis libro constare debet (Can. 991 § 4).

28. - § 1. Superiores omnes Societatis Salesianae [n. 4, 4)], dummodo iusta adsit causa et ius aliis quaesitum non laedatur, fruuntur facultate dispensandi et commutandi in minus (Can. 1311) *in utroque foro:* 1) quaelibet vota privata *etiam reservata*, quoad professos et novitios Societatis; 2) *vota privata non reservata* quoad eos qui famulatus, educationis, hospitii, infirmae valetudinis causa in domibus Societatis diu noctuque commorantur (Can. 1313, 2°).

§ 2. Dispensationes et commutationes, de quibus in § 1, 2), fidelibus omnibus, pro foro tamen interno sacramentali vel extrasacramentali, dari quoque possunt a Salesianis Presbyteris ad confessiones recipiendas legitime adprobatis.

ART. IV.

## De privilegiis quae competunt Rectori Maiori relate ad Adsociationes laicales a nostra Societate dependentes.

29. - Rector Maior, servatis de iure servandis, per se vel per delegatos, confratres in *Archiconfraternitatem Christi Adolescentis*, quae in Domo nostra Nazarethana constituta est, rite cooptat eosque participes declarat omnium indulgentiarum et favorum spiritualium Archiconfraternitatis.

30. - Rector Maior, servatis de iure servandis, in Oratoriis et Ecclesiis quae ad Societatem vel ad Institutum Filiarum Mariae Auxiliatricis pertinent vel eisdem concreduntur, *Sodalitates Cultorum Mariae Auxiliatricis* canonice erigit, easque ad Archisodalitium Taurinense eiusdem tituli adgregat, cum iure socios seu sodales in easdem cooptandi ac privilegiis et gratiis spiritualibus, quibus praefatum Archisodalitium ditatur, gaudendi.

31. - Rector Maior, ad normam statutorum propriorum, facultate gaudet novos socios in *Piam Cooperatorum Salesianorum Unionem* cooptandi eisque diplomata adscriptionis tra-

dendi. Ipse quoque praedictam *Piam Primariam Unionem* diriget ac moderabitur ope praesertim Officii Centralis Cooperatorum necnon et per Inspectorias ad hoc Delegatorum.

32. - Rector Maior, servatis de iure servandis, per se vel per delegatos, rite erigere potest *Societatem Sancti Lazari* in leprosariis, lemocomiis vel hospitalibus nostrae Societati vel Instituto Filiarum Mariae Auxiliatricis concreditis, eique socios adgregat cum iure indulgentiis ac favoribus spiritualibus concessis vel concedendis gaudendi.

33. - § 1. Rector Maior, ex Apostolicae Sedis concessione, per se vel per alium, in nostris Domibus, Adsociationes internas *SS. Sacramenti, B. M. V. Immaculatae, S. Joseph* et *S. Aloysii Gonzagae*, erigere valet, eisque socios ex confratribus, novitiis et ex pueris in nostris Domibus actu diu noctuque manentibus ratione educationis vel famulatus, vel festiva Asceteria frequentantibus adgregare.

§ 2. Eamdem facultatem idem Rector Maior exercere potest in Domibus Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis relate ad Adsociationes proprias Instituti, nempe, *SS. Cordis Jesu, B. M. V. Immaculatae Auxiliatricis, Angelorum Custodum*, et *Beatae Mariae Dominicae Mazzarello.*

34. - Rector Maior facultate gaudet erigendi Adsociationes *Iuventutis Missionariae* et, in Istitutis Filiarum Mariae Auxiliatricis, *Apostolatus Innocentiae*, cum iure socios sociasve in easdem Adsociationes cooptandi, ac indultis, et favoribus spiritualibus, quae Adsociationi *Iuventutis Missionariae* concessa sunt vel in posterum concedentur, gaudendi.

35. - Rector Maior *Pium Opus B. M. Virginis Christianorum Adiutricis* pro fovendis adultorum ad ecclesiasticum statum vocationibus erectum per se vel per alium dirigit, ac in illud socios adgregare valet cum iure facultatibus et privilegiis ac gratiis spiritualibus, quae *Operi* concessa sunt vel in posterum concedentur, gaudendi.

36. - Rector Maior, per se vel per delegatos, servatis de iure servandis, socios in *Pium Opus Sancti Stephani Protomartyris*, quod ad diffusionem christianae ignoscendi veniae in Domo nostra Nazarethana constitutum est, iure cooptat, eosque participes declarat indulgentiarum ac favorum spiritualium *Pio Operi* concessorum.

37. - Rector Maior, per se vel per delegatos, iure recipere potest adscriptiones seu oblationes ad Piam Fundationem Perpetuam apud Basilicam Urbanam ad Castrum Praetorium existentem, cui titulus: *Pium Opus SS.mi Cordis Iesu sex Missarum Perpetuarum*, cum participatione applicationis sex Missarum quotidianarum, Rosarii recitationis, Eucharisticae benedictionis aliarumque functionum ordinariarum et extraordinariarum, quae in praefata Basilica fiunt, ac omnium orationum et bonorum operum quae per orbem in Domibus salesianis et in Missionibus quotidie peraguntur.

## Caput III.

## DE PRIVILEGIIS QUOAD RES

### Art. I.

### De Sanctissima Eucharistia.

#### § 1. - De SS. Missae Sacrificio.

38. - Erigere Oratoria semipublica principalia vel secundaria, servatis de iure servandis (Can. 1192 § 1-2), ipsaque ad usus profanos convertere (Can. 1192 § 3) in Domibus nostrae Societatis, pertinet ad Rectorem Maiorem vel ad Inspectorem, aliumve Superiorem Maiorem, qui illam erectionem permittere quoque possunt in aliis locis, ubi aliqui de Societate resideant, v. gr. in domibus ruralibus, grangiis vel coloniis vacationum (Can. 1192 § 1 et 4).

39. - § 1. Sacerdotes Salesiani possunt, servatis caeterum de iure servandis:

1) celebrare super altare portatile in cubiculo aegrotantis, et in locis ubi nequit ordinarie Missa celebrari;

2) celebrare super altare portatile, data necessitate, in privatis domibus etiam infidelium et haereticorum;

3) celebrare super altare portatile, tempore Missionum, Exercitiorum Spiritualium, novenarum, triduorum vel alius continuatae praedicationis, in domibus privatis, in quibus actu degunt, servatis de iure servandis;

4) celebrare in alienis privatis Oratoriis rite erectis, occasione itinerum ex qualibet causa et pro quovis tempore proque quibusvis negotiis, etiam ad solatium, susceptorum, sine praeiudicio indultariorum et etiam sine eorum praesentia.

§ 2. Sacerdotes nostri, qui ex iussu vel licentia Superiorum, iter maritimum vel fluviale vel aëreum vel viae ferreae arripiunt, perdurante itinere, celebrare possunt, intra vehiculum, omissa in actu celebrationis adsistentia alterius Sacerdotis, si ea commode haberi non poterit, et sine ministro, dummodo non adsit periculum Calicis effusionis, et locus ubi celebratur nihil indecens aut indecorum praeseferat.

40. - Sacerdotes nostri, in territoriis et in locis Missionum [n. 4, 11)], de licentia Superiorum Maiorum super altare portatile celebrare possunt.

### § 2. - De circumstantiis celebrationis.

41. - Sacerdotes nostri possunt ubique terrarum iusta de causa celebrare SS. Missae Sacrificium duabus horis ante auroram aut duabus horis post meridiem.

42. - In omnibus Ecclesiis et Oratoriis, sive nostrae Societatis sive nobis ad tempus vel perpetuo concreditis, sive Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis, duobus intra quamlibet hebdomadam diebus, in quibus non occurrat Festum de praecepto vel feria aut vigilia aut octava privilegiata, celebrari potest Missa de Requie.

43. - In omnibus Ecclesiis et Oratoriis nostris vel nobis concreditis, vel Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis, celebrari potest Missa propria S. Francisci Salesii (absque tamen praefatione propria), iam pridem Ordini Visitationis concessa, servatis de caetero Rubricis.

44. - Sacerdotes nostri, leprosariis aut lemocomiis quoquo modo addicti, cum litare debent post octavam horam matutinam, tribus horis ante Missae celebrationem, de consensu Superioris saltem Localis, cuius conscientia ideo onerata manet, et remoto scandalo, aliquid per modum potus sumere valent, ob necessitatem loci, exclusis prorsus liquoribus coeterisque fermentatis potibus.

45. - § 1. Alumni nostrae Societatis Kalendario proprio adprobato amodo se unice conformare debent in Horis Canonicis persolvendis et Sacrosancto Missae Sacrificio celebrando in Ecclesiis et Oratoriis sive nostris sive nostrae Societati ad tempus vel in perpetuum concreditis, non autem in Ecclesia vel Oratorio alicui nostro Sacerdoti, ut personae privatae, commissis, excepta Missa paroeciali, quae, in proprio die celebrata nec translata et pro populo adplicata, conformis esse debet officio diei.

§ 2. Kalendarium nostrum adhiberi quoque debet in Ecclesiis et Oratoriis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis.

46. - § 1. Celebrare nocte Nativitatis Domini tres rituales Missas (vel, servatis servandis, unam tantum), et Sacram Communionem petentibus ministrare, potest, in singulis Ecclesiis vel Oratoriis nostris et Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis, in quibus Communitas, Collegium vel Asceterium adsistunt aut in quibus ad modum Oratorii semipublici Missae celebrantur, unus Sacerdos a Directore designandus; quae Missa adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valet (Can. 821 § 3).

§ 2. Ubi sunt plures communitates distinctae et earum quaelibet utitur proprio Oratorio, etsi secundario, ad exercitia quotidiana pietatis explenda, in quolibet ex iis Oratoriis semipublicis celebrari possunt Missae Nativitatis, quibus admitti etiam possunt externi ex Festivo Asceterio nostrae Domui adnexo,

47. - Celebrare Feria V Maioris Hebdomadae unicam Missam lectam in singulis Oratoriis, in quibus aliqua Communitas nostra aut Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis propria explet ordinaria pietatis exercitia, licet ex privilegio communi, si non cantetur Missa sollemnis, idque in Oratorio semipublico principali vel secundario, vel, si hoc deficiat, in Ecclesia sed ianuis clausis, seu ad modum Oratorii semipublici.

48. - Rector Maior facultate utitur percipiendi, pro nostris Missionibus, eleemosynas Missarum binatarum, quae ad eius mentem a quocumque Sacerdote applicantur, salvo iure praevalenti.

49. - § 1. Data necessitate, celebrari possunt in nostris Ecclesiis Oratoriisque publicis vel semipublicis, functiones Maioris Hebdomadae aliaeque anni ecclesiastici extraordinariae functiones (benedictio candelarum, benedictio et impositio cinerum), sine cantu, secundum Benedicti XIII *Memoriale Rituum;* insuper Sacrum fieri potest feria V in Coena Domini necnon et SS. Eucharistia infra Missam administrari ubi, ne supradicto quidem ritu, ultimis tribus diebus Maioris Hebdomadae functiones celebrari possunt.

§ 2. Eadem facultas exerceri potest in Ecclesiis et Oratoriis publicis vel semipublicis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis.

50. - § 1. Missa propria votiva in honorem S. Iohannis Bosco celebrari potest ultima feria III cuiusque mensis in altari in quo, eiusdem Sancti Reliquia exponitur, pro singulis seorsim communitatibus Domorum Salesianorum et Filiarum Mariae Auxiliatricis, necnon et respectivis Asceteriis et Ecclesiis vel publicis Oratoriis, exceptis dumtaxat festis ritus duplicis I-II classis ac feriis vel octavis privilegiatis.

§ 2. Pariter in perpetuum celebrari poterit Missa propria votiva B. M. V. Auxiliatricis die 24 cuiusque mensis in altari in quo Missa communitatis celebrari solet, pro unaquaque communitate in Domibus sive Salesianorum, sive Filiarum Mariae Auxiliatricis, secundum normas a Sancta Sede datas ob analo-

gam facultatem pro Ecclesiis vel Oratoriis ubi erecta est *Adsociatio Clientium Mariae Auxiliatricis* in altari in quo haec Adsociatio erecta est.

§ 3. Pia denique peculiaria exercitia pietatis peragi possunt, in honorem B. Mariae Dominicae Mazzarello, die 14 cuiusque mensis, in Ecclesiis vel Oratoriis Filiarum Mariae Auxiliatricis et in nostris.

51. - Rector Maior potestate gaudet concedendi Sacerdotibus sibi subditis, ob provectam aetatem, debilitatem visus aut virium vel infirmam valetudinem, facultatem celebrandi, iuxta ritum diei currentis, diebus festis de praecepto et duplicibus, Missam votivam B. M. V. vel aliam votivam a Sancta Sede adprobatam; diebus vero semiduplicibus, simplicibus et ferialibus, Missam quotidianam defunctorum, dummodo indultarii memoriter non recitent, et celebrent in Oratorio secundario Domus vel, si in Ecclesia vel Oratorio publico, qua hora a populo minus frequententur atque cum alio Sacerdote, quatenus eo indigere videantur.

52. - Rector Maior aliique Superiores Maiores Sacerdotibus sibi subditis, qui ita gravi infirmitate laborent ut in Ecclesia seu Oratorio vel nullo modo vel cum gravi incommodo vel adstantium admiratione seu repugnantia celebrare valeant, onerata eorum conscientia, permittere possunt ut supra altare portatile decenti loco Sacrum litare queant.

53. - Rector Maior aliique Superiores Maiores facultatem propriis subditis concedere possunt Sacrum litandi, in loco caeterum decenti et ad modum Oratorii semipublici, in domibus, quae, rusticationis causa, vel nobis a benefactoribus offeruntur vel simpliciter locantur, sed Societatis non sunt.

### § 3. - De custodia et distributione SS. Eucharistiae.

54. - § 1. Custodire SS. Eucharistiam:

1) licet et oportet in Ecclesiis Domui nostrae adnexis;

2) licet quoque, accedente facultate Rectoris Maioris aut

Inspectoris, aliusve Superioris Maioris, in Oratorio publico vel semipublico Domus nostrae:

*a*) si desit Ecclesia;

*b*) si habeatur quidem Ecclesia, sed nostri non Ecclesia, sed Oratorio utantur ad exercitia pietatis ordinaria et quotidiana;

3) licet etiam de licentia Rectoris Maioris aut Inspectoris aliusve Superioris Maioris, in Oratoriis secundariis in quibus singulae communitates formaliter distinctae v. gr. novitii et studentes; pueri studiis incumbentes vel artibus addiscendis intenti; propria pietatis exercitia ordinaria explent (Cann. 1265 § 1, 1°, 1267; PCC., 2-3 iun. 1918).

§ 2. In omnibus nostris Ecclesiis et Oratoriis publicis et semipublicis etiam secundariis, si tamen his utantur distinctae communitates ad ordinaria et propria pietatis exercitia explenda, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum etiam quotidie fidelium adorationi sollemniter proponi potest, Eoque populo benedici.

§ 3. Eadem valent de singulis Ecclesiis et Oratoriis Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis, quamvis nequeat haberi Sacerdos qui regulariter ibidem celebret qualibet hebdomada, sed tantum alterna hebdomada.

55. - Urgente vere gravi causa, a Rectore Maiore aut Inspectore aliove Superiore Maiore, onerata conscientia, comprobata, et dum ipsa perduret, SS. Eucharistia asservari potest extra altare, supra corporali tamen et in loco tutiore et decentissimo. In casu verae necessitatis et graviter onerata conscientia, Rector Maior et Superiores Maiores permittere valent ut in locis ubi nulla materia ad lampades nutriendas haberi potest, SS.mum Sacramentum cum luce electrica et si hoc fieri non valeat sine lumine etiam asservari possit.

56. - Rector Maior, aliique Superiores Maiores ex ipsius delegatione, propriis subditis religiosis, Filiabus Mariae Auxiliatricis atque utriusque Familiae novitiis, ac postulantibus infirmis, qui naturale ieiunium servare non valent, concedere pos-

sunt ut etiam quotidie, durante tantum male affecta valetudine, S. Communionem sumere possint, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.

ART. II.

## De Sacramento Paenitentiae.

57. - Sacerdotes nostri, vi iuris communis, audire et absolvere possunt in confessione:

1) *ex officio* (Can. 873 § 1) vel *ex delegatione Ordinarii loci* (Can. 874 § 1):

*a*) fideles omnes, qui illos adeunt ad confitendum;

*b*) religiosos omnes, etiam exemptos, quoties ad suae conscientiae quietem eos adierint (Can. 519), et a censuris in confitentium Religione reservatis;

*c*) religiosas quoque, sed intra limites Cann. 522, 523 a PCC. legitime interpretatorum, 24 nov. 1920 et 28 dec. 1928;

2) *vi iurisdictionis specialis, si qua gaudeant in Religiosas* (Can. 876), intra limites concessionis;

3) *vi iurisdictionis delegatae a nostris Superioribus Maioribus:* omnes professos, novitios, adspirantes, alumnos, famulos et hospites, qui in Domo nostra diu noctuque degunt (Can. 875 § 1);

4) *vi iurisdictionis delegatae a Superiore Religionis clericalis exemptae:* Religiosos illius Religionis et omnes qui in domo religiosa diu noctuque commorantur, ad normam Can. 875 § 1;

5) *vi privilegii*, si tamen adprobati sint ab aliquo Superiore, ut supra [n. 4, 4)]: Salesianos, novitios, alumnos convictores internos, famulos, hospites unius saltem integri diei, ubique locorum, etiam iter peragendo, in mari, in flumine, in aëre aut in via ferrea, vel alibi commorando, sive in nostris sive in privatis quoque aut religiosis domibus et Ecclesiis, et servatis de iure servandis;

6) *vi privilegii:* omnes ad eos legitime accedentes a casibus et censuris a iure reservatis, eodem sensu eademque mensura ac id possunt Confessarii Regulares.

58. - § 1. Superiores Maiores eorumque vices gerentes, possunt, vi muneris, excipere Confessiones subditorum (Can. 873 § 2); sed hoc per modum habitus ne faciant nisi intra limites Can. 518 § 2; in collegiis vero ne per modum quidem actus, nisi ad normam Can. 891.

§ 2. Ipsi delegatam iurisdictionem, ad subditorum confessiones audiendas, conferunt sive Sacerdotibus nostris sive saecularibus aut alius Religionis (Can. 875 § 1).

59. - Confessarios ordinarios in nostris Domibus constituere pertinet:

*a*) ad Rectorem Maiorem pro tota Societate;

*b*) ad Inspectorem aliumve Superiorem Maiorem pro sua dumtaxat ditione (Can. 518 § 1; *Const.*, art. 152).

60. - § 1. Confessarii omnes qui a nostris Superioribus iurisdictionem recipiunt, possunt subditos [n. 4, 9)] Superioris delegantis ubique absolvere; eos vero qui transeunter (v. gr. hospites, professi itinerantes) in domo vel Inspectoria reperiuntur, tantum intra limites Domus vel Inspectoriae.

§ 2. Superiores tamen locales et Novitiorum Magistri praescripta canonum quoad subditorum confessiones fideliter observare tenentur (Cann. 518 § 2, 891).

